

## Recensio Conocephalidarum

in „A synonymic catalogue of Orthoptera  
by W. F. Kirby“ contentarum.

Auctore

**H. Karny.**

(Eingelaufen am 1. Juli 1908.)

Revisione meâ Conocephalidarum perfectâ, etsi nondum publicatâ, Dom. W. F. Kirby Londiniensis secundum volumen catalogi Orthopterorum prodidit, in quo et Conocephalidae contentae sunt, quas hic recensere volo. Primo praedicandum est, tribum *Conocephalidarum* in sex separatas subfamilias dilaceratam esse, quas *Conocephalinas*, *Agroeciinas*, *Salamoninas*, *Xiphidiinas*, *Listrocelinas* (sic!), *Eumegalodontinas* nominat. Quarum ultima *Conocephalinis* valde vicina est et vix iure separari potest, at Kirby omnes alias inter eas inseruit. Primam subfamiliam auctor *Conocephalinas* nominat, quamquam in tota hac tribu genus *Conocephalum* nusquam adfert, quia hoc genus — ne iure quidem — *Conocephaloidem* appellat. Sed ad hoc postea redeo. Nunc apud initium incipiam, i. e. in p. 229, Vol. II catalogi.

### Subfam. Conocephalinae.

Genus *Panacanthus* sensu Redtenbacheri in genera duo Kirby divisit, uti iam antea Walker et Bolivar fecerunt. Quare *Storniza* Walk. partem *Panacanthi* Redtenbacheri amplectitur et cum *Martinezia* Bol. synonymicum est. Praeter species in Monographia Redtenbacheri contentas Kirby etiam *Stornizam pallicornem* Walk. adfert, quam Redtenbacher non novit. Sequitur genus *Rhynhocerus* Karsch a me pone *Eumegalodontem* positum; sed catalogi auctor id ne in subfamiliam *Eumegalodontinarum* quidem contulit. Deinde *Loboscelis*, *Daedalus*, *Copiphora*. Hic Kirby praeter species in revisione mea contentas *gracilem* Scudd., *mucronatam* Thom., *flavoscriptam* Walk., *subulatam* Stoll. adfert, quarum in sy-

stemate positio valde dubia est. *Copiphoram aztecum* in genus meum *Acantheremum*, *C. borellii* ad *Lamnicipitem* transtuli. Sequuntur *Lamniceps*, *Lirometopum*. Hic Kirby *brevirostrem* Stål posuit, quae ad *Copiphoram* pertinet. Genus *Montesa* Walk. non novimus. *Basileus diadematus* nunc *repandus* Walk. nominandus esse dicitur. Tum *Exocephala* et *Eriolus*, cuius *consobrinus* cum *fratre* synonymicum esse arbitror (Rev. Con., p. 11). Sequitur *Gryporhynchus*, *Mygalopsis*, quae nunc *pauperculus* (sic!) Walk. appellanda esse a Kirby dicitur. *Acanthacara*, quam a *Belocephalo* dividit, *Belocephalus*, *Poascirtus*, *Eurymetopa*, *Liostethus*, *Oxyprora*. Hoc genus Krauss quondam typum *Tettigoniae* L. esse affirmavit, uti equidem in Revisione citavi (p. 14), sed neque Kirby neque ego hoc accepimus. Kirby genus *Decticum* auctt. *Tettigoniam* appellat, ego in meis „Bemerkungen zu dem Linnéschen Gattungsnamen *Tettigonia*“ (Zool. Ann., Würzburg, 1907) demonstravi *viridissimam* speciem typicam esse et deinde Krauss in litt. scripsit se gaudere, „daß der Name *Tettigonia* für *viridissima* als Type erhalten ist“ (5. Januar 1908). Quo in genere Kirby species in Redtenbacheri Monographia contentas adfert et praeterea *ascendentem* Walk. et *acanthoceras* Haan, quae mihi dubiae esse videntur. Sequitur *Oxyprorella* Giglio-Tos, quae ad *Phanopteridas* pertinet et cuius in hoc loco positione valde miratus sum! Post eam *Pedinostethus*, *Xestophrys*; *X. Horvathi* Bol. Kirby nondum novit. Deinde *Lanista*, *Clasma*, *Plastocoxypha*, *Pseudorhynchus*. Quantus hic specierum numerus, sed quanta earum pars dubia est! Tum *Pyrgocorypha*, cuius *nigridens* et *planispina* incertae sedis. Sequuntur *Dorycoryphus*, *Coryphodes*, *Ruspolia*, *Caulopsis*. Hic *gracillima*, *acutula*, *sponsa* species dubiae sunt; de prora *confer* in mea revisione p. 21. Venimus ad genus *Conocephaloidem* Kirby nec Perkins. Hoc genus omnes priores auctores *Conocephalum* nominaverunt, at secundum Kirby *Conocephali* species typica *Locusta Conocephala* Fabr. est, i. e. *Xiphidion aethiopicum*. Tamen et ibi non nomine *Conocephalo* utitur, sed illum genus *Anisopteram* Latr. 1829 nominat, cum *Conocephalum* Thunb. 1815 instituisset. Sed hac re commotus *Conocephalum* omnium auctorum *Conocephaloidem* appellat, quod nomen Perkins generi a *Conocephalo* valde et bene distincto applicaverat. Sed Kirby haec duo genera confundit. Tamen, qui nusquam *Cono-*

*cephalum* nomen genericum adfert, subfamiliam „*Conocephalinas*“ appellavit. Qua confusione commotus ego in revisione, cum *Conocephalum* in tria subgenera divisi, illorum nullo nomen *Conocephali* applicavi, sed *Neoconocephalum*, *Euconocephalum*, *Homorocoryphum* nominavi, ne Kirby diceret *Conocephalum* non hoc genus esse. Quod fortasse Dom. Dr. Krauss non novit, cum mihi litteris citatis scriberet: „Mit Verwunderung sehe ich, daß Sie den Namen ‚*Conocephalus*‘ nur als Sammelnamen beibehalten haben, ähnlich wie Linné seinen Namen ‚*Gryllus*‘. Nach unseren heutigen Nomenklaturregeln muß er aber erhalten bleiben, so daß eines Ihrer Subgenera *Conocephalus* zu heißen hat!“ Praeterea de ea re iam in mea „Orthopterenfauna des ägyptischen Sudans und von Nord-Uganda“ brevi opinionem meam indicavi. — Redtenbacher totum genus in tres cohortes valde naturales divisit, quas ego subgenerum loco institui. At Kirby hanc optimam Redtenbacheri dispositionem haud sequitur, sed secundum patriam species disponit. In iis etiam Conocephaloidem Hawaiiensem adfert, quem *remotum* Walk. nominat, quamquam secundum Perkinsi descriptionem hanc speciem generice distinguere necesse est. Praeterea multae aliae nominum mutationes in Kirbyi catalogo invenimus, praecipue quia nonnullis a Redtenbacher optime descriptis et nominatis speciebus nomina a Walker data (et prioritatem habentia) imponit, quamquam secundum huius auctoris descriptiones eas cognoscere impossibile est, nisi quis specimina typica musei britici habeat. Ita *exaltatus* Walk. = *pustulatus* Redt., *vittipennis* Walk. = *fuscomarginatus* Redt., *simulator* Walk. = *adustus* Redt., *varius* Walk. = *Thunbergi* Stål et Redt., *extensor* Walk. = *australis* Bol. et Redt., *incertus* Walk. = *breviceps* Redt., *lineosus* Walk. = *fuscipes* Redt., *interruptus* Walk. = *brevipennis* Redt., *abruptus* Walk. = *mada-gassus* Redt., ut quidem Kirby adfirmat. Praeterea *irroratum* (Burm.) *tuberculatum* (Geer) nominat, *dissimilem* Serv. *triopem* L., *acuminatum* Fabr. (nec L.) *nasutum* Thbg. *Fratrem* Redt. nunc *fratellum* Griff. nominari debere ego quoque in revisione mea demonstravi. De *saturato* confer p. 35 meae publicationis. Kirby et duo nova nomina instituit: *exilem* Kirby pro *insulano* Scudd. nec Redt., quem ego (p. 38) *insularum* nominavi; sed Kirbyi nomen prioritatem habet; deinde *meridionalem* Kirby pro *occidentali* Redt.,

quem ab *occidentali* Sauss. distinguit. Deinde *maxillosum* cum *mutico* identicum esse adfirmat; at, quod ego monstravi, *affinem* Redt. se ab *irrorato* Burm. haud differre non novit, sed *affinem* pone *madagassum* sistit. Denique Kirby multas species adfert, quas secundum auctorum descriptiones identificare impossibile est, in iis praeter Kraussei speciebus, quas ego ignoravi (p. 39 revisionis), praecipue a Walker descriptas, quas redescribere valde laudabile esset, quia Walkeri descriptiones inanes sunt; praeterea Scudderi species quasdam et auctorum priorum. Earum nomina: *monoceros*, *colorificus*, *purpurascens*, *malivolans*, *aries*, *restrictus*, *bilineatus*, *retusus*, *hebes*, *tenuicauda*, *alienus*, *clausus*, *Troudeti*, *clarus*, *Roberti*, *Thunbergi*, *Cristovallensis*, *turpis*, *rosaceus*, *femoralis*, *indicator*, *diversus*, *obscurus*, *intactus*, *differens*, *breviceps*. Earum in numero etiam *diversum* quendam invenimus et ea de causa *diversum* meum austro-americanum nunc *Homorocoryphum Harti* n. n. nomino, quia hanc speciem Dom. Charles A. Hart, orthopterologo illinoisensi dedicare volo. — Hoc amplum genus sequuntur *Bucrates*, *Parabucrates*, *Brachymetopa*, quam *Banzam* Walk. nominat. Huius generis *discolorem* Redt. Kirby cum *parvulâ* Walk. identificat at *parvulam* Perk. *brunneam* Perk. nominat.

#### Subfam. Agroeciinae.

Hic Kirby in generum sequentiâ plus minus Redtenbacherum sequitur. At *Subriam amazonicam* et *nitidam* bene distinctas sub nomine *Subriae grandis* Walk. confundit. Genus a me *Spada* nominatum, specie typicâ *Agroeciâ spadâ* Br., i. e. genus *Orthoxiphus* Dohrn nec Sauss.; Kirby *Habetiam* nominat, quod nomen prioritatem meo habet et *Spada* Karny in synonymiam transferenda est. *Secsiva univittata* Walk. (Kirby, Catal., p. 261) mihi ignota. Pro *Lobaspi* Redt. *Nicsara* Walk. teste Kirby ponenda est. *Nicsaram trigonalem* Walk. non novi. Neque tres a Dohrn descriptas species (*minutam*, *thoracicam*, *Hageni*), cum revisionem meam scripsi, comperi, quia tum Zoological Record pro 1905 nondum adfuit et publicationem ipsam non accepi. Pro *Alphopterygem* Redt. et *Glaphyronotum* Redt. Kirby nomina a Walker data (*Veriam* et *Metholcen*) infert. De *Anthracitis* a Dohrn descriptis speciebus idem, quod apud *Nicsaram* dixi.

## Subfam. Salomoninae.

Apud *Macroxiphum* auctor teste Dohrn *sumatranum* a *nasicorni* diversum esse dicit, ego in revisione Redtenbacherum secutus sum. Dubiam *Locustam loboensem* Haan ignoravi, tres a Dohrn descriptas species nondum novi. *Macroxiphum Chyzeri* Bol. Kirby non adfert. *Salomona Brongniarti* Br. ab *antennata* Redt. haud diversa, immo vero secundum eadem specimina descripta. *Salomonam sigma* Redt. Kirby *Sal. Godeffroyi* Piet., hanc *solidam* Walk. nominat. *Salomona Dohrni* Redt. *vittifrons* Walk. appellatur. *Conspersa* Stål, *tetra* Walk., *obscura* Gieb., *sparsa* Walk., *macrocephala* Montr. mihi dubiae videntur. Genus *Peraccam* Griff. Kirby omisit. *Dicranacrus furcifer* Redt. *fuscifer* nominatur (an vitio typographi?).

## Subfam. Xiphidiinae.

Unde hoc nomen? Nusquam genus *Xiphidion*, quod *Anisopteram* appellat. Cur non *Conocephalus* nominatur? *Conocephalum* auctorum *Conocephaloidem* dicit, quia Thunbergi generis species typica *hemipterus* sit (i. e. *Xiphidion aethiopicum* auctorum). Nihilominus nunc hoc genus *Anisoptera* vocatur, quod nomen 1829 publicatum est, *Conocephalo* iam 1815 edito. Equidem *Conocephalum nitidulum* et consanguineis reservavi et hoc genus *Xiphidion* Serv. 1831 appellavi. Quamquam nomen *Anisoptera* prioritatem habet, a priore mea opinione non discedo, quia *Xiphidion* et *Anisoptera* non identicae sunt. *Anisoptera* amplectitur omnes *Tettigoniidas* elytris abbreviatis, i. e. praecipue *Xiphidia* brevipennia et species quasdam *Platycleidis*, et mihi cum *Chelidoptera* Wesm. plus minus identice esse videtur. *Xiphidion* et *Platycleis* bene distincta genera sunt, utrumque species, quae elytris perfectis inveniuntur, amplectens. Quare ab iis *Anisoptera* et *Chelidoptera* a priori diversae, quae e principio solum per species brachypteras pertinent. Sed paulatim omnium specierum brevipennium bene notarum etiam formae longipennes palam factae sunt et verisimiliter omnes (etiam exoticae solum secundum minorem speciminum numerum descriptae) interdum longipennes sunt. Quare divisio in *Xiphidion* et *Anisopteram* vana est et omnes species *Xiphidio* attribuendae sunt, non *Anisopterae*, quia huius generis signum typicum, alae breves, apud

multas species numquam, apud alias plerumque, sed non semper adest. *Xiphidion insulare* Morse et *Redtenbacheri* Bol. auctor omisit. *Brevicercum* Karsch *brevicorne* nominat. *Vittato* Redt. nomen *maoricum* Walk., *geniculari* Redt. *bilineatum* Erichs., *aethiopico* Thbg. *conocephalum* L. imponit (an iure?). *Thoracicum* Fisch. W. a *fusco* dividit. *Cinereum* Thbg., *exemptum* Walk., *posticum* Walk., *stramineum* Haan, *albescens* Walk., *oceanicum* Le Guill., *spinipes* Stål, *sinense* Walk., *continuum* Walk., *tenellum* Walk., *punctipenne* Walk., *tenue* Walk., *hecticum* Gerst., *caudale* Walk., *trivittatum* Stål species dubiae. Prius apud *Orchelimum erythrocephalum* Davis omisit, *nigripedem* Scudd. *validum* Walk. appellat; *herbaceum*, *Ortoni*, *sphagnorum* species dubiae. Genus *Lipotacten* Br. ad *Xiphidiinas* ponit.

#### Subfam. Listrosceлинаe.

*Xiphidiopsis citrina* Redt. teste Kirby *straminula* Walk. nominanda. *Longicercatam* Bol. et *teuthroidem* Bol. omisit. *Phlugem teneram* Stål *spinipedem* Fabr. appellat. *Phisem arachnoidem* Bol., *rubrosignatam* Bol., *crassipedem* Bol. omisit, dubiam *pogonopodam* Montr. adfert. *Hexacentrum annulicornem* Stål *mundam* Walk. dicit; de *Hexacentro Ståli* Krausse v. revisionem meam p. 110. *Listrosceles* (sensu latiore) in tria genera dividitur, *Monocerochoram*, ad quam *longispina* Burm. (et mea *spinosa*), *Cerberodontem*, ad quem *viridis* Perty, *Listroscelem* (s. ang.) ubi ceterae.

#### Subfam. Eumegalodontinae.

Has a *Conocephalinis* divisas esse mihi valde paradoxe videtur. Et *Rhynchocerum* Karsch, his valde affinem apud illis Kirby adfert. Genus *Eumegalodon* autor in *Lesinam* Walk. et *Eumegalodontem* Brongn. diremit (an iure). *Lesina lutescens* Walk. species valde dubia est.

Omnino dicam catalogum a Kirby editum licet meliorem esse quam *Walkeri*, sed in nimia divisione subfamiliarum et generum nonnumquam longius progressum esse et in nomenclatura saepe confusionem innecessariam ciere. Meâ opinione *Walkeri* nomina porro ignorentur, nisi quis eas species redescrubit, nam secundum *Walkeri* descriptiones plerumque identificere ea impossibile est, nisi specimina typica Musei Britici habeas.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Verhandlungen der Zoologisch-Botanischen Gesellschaft in Wien. Früher: Verh. des Zoologisch-Botanischen Vereins in Wien. seit 2014 "Acta ZooBot Austria"](#)

Jahr/Year: 1909

Band/Volume: [59](#)

Autor(en)/Author(s): Kary Heinrich Hugo

Artikel/Article: [Recensio Conocephalidarum in "A synonymic catalogue of Orthoptera by W.F. Kirby" contentarum. 23-28](#)